



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispytatio XLIV. De effectibus Prædestinationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPV TATIO XLIIII.

De effectibus Prædestinationis.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur quædam circa effectus Prædestinationis

I.
Prædestinatio duplex, formalis & obiectiva.



PRÆDESTINATIO, ut supra cum communi Theologorum ex S. Augustino diximus, est *Præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Unde duplex quasi est prædestinatio, *formalis & obiectiva, seu activa & passiva.* Prædestinatio *formalis & activa* est ipse actus Dei, vel potius varii actus, quibus auxilia nobis ad bene operandum & perseverandum, ac tandem gloriam parat. Prædestinatio *obiectiva seu passiva* est series illa gratiarum & donorum, voluntatibus illis correspondentium. Quod ergo hic dicemus de Prædestinatione *obiectiva*, idem dicendum est de *formali*; ambæ enim unam integrant prædestinationem adæquatam.

II.
Maxima hæc de re est inter Theologos dissensio.

Maximam video inter Auctores hac de re opinionum diversitatem, quæ ex eo oritur, quod non eandem omnes condiciones statuunt effectus prædestinationis: unde dum hi istas, alii alias condiciones ad hoc requirunt, & in fundamento differunt, nil mirum si in iis dissentiant, quæ inde deducuntur, & illa quæ à quibusdam tanquam effectus Prædestinationis statuuntur, ab aliis rejiciantur. Primum itaque condiciones ad effectum Prædestinationis requisitæ statuendæ sunt, mox ad effectus ipsos progrediemur.

III.
Ut aliquid sit effectus Prædestinationis, debet esse donum Dei.

Prima itaque conditio ad effectum prædestinationis necessaria est, ut sit donum & beneficium Dei: Sic enim in definitione Prædestinationis, quam num. I. ex S. Augustino adduximus, habetur: *Prædestinatio est præscientia & preparatio beneficiorum Dei, &c.* Hinc ab effectu prædestinationis rejiciuntur peccata, utpote quæ non sunt dona & beneficia Dei. Unde licet præsciantur, non tamen prædestinantur: sicut similiter reprobi dicuntur præsciti, non tamen prædestinati.

IV.
Quicquid est effectus Prædestinationis, debet vel esse gloria, vel in gloria acquisitionem in fluxu.

Secunda conditio est, ut vel sit gloria, vel in gloriam influens. Prima pars, quod scilicet gloria sit effectus prædestinationis, latè probata est supra, Disp. 39. sect. primâ. Secunda itaque pars ostenditur; Prædestinationis namque finis, & illud ad quod in hoc Prædestinationis negotio collimat Deus, est gloria, seu ut per varia media ab ipso nobis collata nos ad beatitudinem perducatur. Illa ergo sola inter Prædestinationis effectus numeranda sunt, quæ ad hunc finem conferunt, & ad beatitudinis acquisitionem verè & realiter concurrunt.

V.
Vocationes omnino inefficaces, non sunt effectus prædestinationis.

Hinc infero vocationes, seu auxilia omnino inefficacia, per quæ homines ad conversionem interdum, & penitentiam, aliisque bona opera, citra effectum incitantur, rationem effectus Prædestinationis non sortiri, sed spectare ad communem providentiam. Ratio est, quia nullum habent in gloriam influxum nec ad illius adeptionem quid-

quam conducunt: ita Vasquez hic, Disp. 94. Alarcon tract. 4. disp. 4. cap. 4. num. 7. Valentia disp. 1. q. 23. p. 3. §. secundum est.

Dices cum P. Suarez hic, lib. 3. cap. 6. num. 7. P. Granado 1. p. tract. 6. disp. 3. num. 6. & aliis vocationes hæc inefficaces quamvis proximum suum & primarium effectum non consequantur, cum homines iis non cooperentur, omni tamen effectu non destitui; prædestinatus quippe in memoriam revocans se Sanctis illis à Deo immisissis inspirationibus non respondisse, & Deo pulsanti, cordis januam non aperuisse, occasionem inde sumit varios virtutum actus, ut humilitatis, gratitudinis, doloris, &c. exercendi, ex quibus major postea in cælo gloria, & peculiare ei gaudium accrescet. Respondetur, quod aliquid per modum objecti conferat ad beatitudinem, non sufficere ad effectum Prædestinationis strictè dictum; hoc enim modo res omnes naturales, ipsaque adeo peccata ad gloriam conducunt, cum prædestinato anam frequenter præbeant varios similiter virtutum actus exercendi, ex quibus major ei gloria, & singulare in cælo gaudium nascetur.

VI.
Ad beatitudinem, conducere per modum objecti, non sufficit ad effectum Prædestinationis.

SECTIO SECUNDA.

Aliæ quædam condiciones effectus Prædestinationis.

TERTIA conditio ad effectum Prædestinationis requisita est, ut sit verè gratia, & donum supernaturale. Ratio est, Pelagius enim cum sequacibus multa dona Dei in entitate naturalia ad Prædestinationem necessaria esse ponebat, qui tamen à Patribus damnatur, quod gratiam negaverit esse initium salutis; ergo hæc non sunt gratia illa quam Patres statuunt tanquam effectum Prædestinationis. Unde S. Augustinus ep. 105. *Non est, inquit, gratia Christi quod nascamur, sed quod exim-pis justificemur, & ep. 95. ait gratiam creationis non esse illam, qua Prædestinati vocamur, justificamur, & glorificamur, &c.* ergo illa sola gratia juxta S. Augustinum spectat ad Prædestinationem tanquam illius effectus, quæ influit elevando animam, merendo & impetrando aliquid quod directè confert ad salutem: ita Vasquez 1. p. disp. 93. cap. 4. Arrubal disp. 81. cap. 2. Alarcon tract. 4. disp. 4. cap. 1. contra Suarez hic lib. 3. cap. 7. Tannerum 1. p. Disp. 3. quest. 3. dub. 2. Herice disp. 30. cap. 5. & alios.

I.
Ad propriam effectum Prædestinationis requisitur, ut sit quid supernaturale.

II.
Quia gratia à Patribus vocatur gratia Prædestinationis.

Hinc infero nulla dona naturalia esse propriè & in rigore effectus Prædestinationis, cum non fortiantur rationem gratiæ strictè dictæ, & ut à Patribus eam sumi vidimus num. præcedenti; idque licet interdum alicui dentur ex speciali intentione salutis; cum enim hæc intentio, eorum naturam non mutet, nec illa efficiat gratiam propriè dictam, non efficit ut sint effectus Prædestinationis.

II.
Nulla dona naturalia sunt propriè & in rigore effectus Prædestinationis.

Unde

SECTIO TERTIA.

Utrum peccati permissio sit effectus Prædestinationis.

PECCATUM non posse esse effectum Prædestinationis diximus supra, Sect. I. num. 3. malum enim morale cum sit, à Deo amari, & inter ejus beneficia computari non potest. Permissio tamen peccati ab effectu Prædestinationis hoc nomine excludi nequit, utpote quæ bona est, & consequenter potest à Deo amari. In præsentibus ergo quaerimus, cum permissio peccati ad varios virtutum actus excrendos utilis esse possit, humilitatem scilicet, poenitentiam, &c. per quæ homo beatitudinem consequi valeat: quaerimus, inquam, utrum Deus ex affectu beatitudinis; occasione hujusmodi permissionis adipiscendæ, possit peccatum permittere, seu auxilium congruum in iis circumstantiis non dare, quando defectu illius novit peccatum secuturum.

Prima Conclusio: Permissio peccati nec est, nec esse potest propriè, & in rigore effectus Prædestinationis: ita Valquez prima parte, Disp. 93. cap. 2. Arribal hic, Disp. 82. Herice l. p. Disp. 30. n. 42. Alarcon l. p. tract. 4. d. 4. cap. 5. num. 21. contra Suarezum lib. 3. de Prædest. cap. 8. & lib. 2. de Auxil. cap. 5. Tannerum l. p. d. 3. q. 3. dub. 3. Granado l. p. tract. 6. disp. 5. n. 7. Arriagam hic, disp. 38. sect. 3. & alios.

Ratio est: Effectus enim Prædestinationis strictè dictus debet esse verè & propriè gratia, ut videmus Sectione præcedente, num. 1. nec sufficit quòd quocunque modo, seu occasionaliter concurrat ad beatitudinem; hoc enim modo & peccatum ipsum ad eam concurrat, & res quæque naturales, ut Sect. I. ostendimus, num. 6. quæ tamen non sunt effectus Prædestinationis. Quòd verò permissio peccati non sit gratia, exinde constat, est namque negatio gratiæ, seu auxilii congrui, ut num. 1. dictum est. Ulteriùs itaque inquirimus, utrum impropriè saltem, & minus rigorosè dici possit effectus Prædestinationis, seu an Deus ex affectu beatitudinis alicujus prædestinati, possit peccatum in eo permittere.

Secunda Conclusio: Deus ex affectu, & intentione poenitentia non potest velle permissionem peccati. Est contra Thomistas affirmantes Deum ex affectu ostensionis justitiæ suæ vindictivæ, & similes intentiones, velle permissionem peccati. Est etiam contra Granado hic, tract. 6. disp. 5. Arriagam l. part. disp. 38. sect. 4. num. 41. & alios nonnullos. Nostram tamen conclusionem tenet P. Suarez hic, lib. 3. de Prædest. cap. 8. n. 13. & lib. 2. de auxiliis, cap. 5. Valquez l. p. disp. 93. & alii.

Probat: Si enim Deus absolute & antecedenter vult poenitentiam, debet etiam, implicite saltem & virtualiter velle & intendere peccatum; cum enim peccatum sit quid per se requisitum ad poenitentiam, tanquam materia doloris, quisquis absolute intendit poenitentiam, intendere debet peccatum, saltem implicite, ut per se videtur manifestum.

Dices primò cum P. Arriaga citato num. 31. Deus, prævisò peccato, potest efficaciter amare poenitentiam, nec tamen propterea amat præteritionem peccati, neque vult eam fuisse, cum nihilominus præteritio peccati non minus ad poenitentiam sit requisita, quam futuritio. Respondetur Deum

III. Unde externa prædicatio Evangelii: nasci inter Christianos, aut prope fontem in extremo vitæ discrimine: occurrere funeri tali loco & tempore, unde oritur alicui occasio conversionis: tolli ex hac vitâ in statu gratiæ, & id genus alia, etsi meritò cenferi possint eximia Dei beneficia, sintque aliquo modo effectus prædestinationis, & hoc modo à S. Augustino appellantur de Correctione & gratiâ, cap. 7. & de bono perseverantiæ, cap. 15. & 17. non tamen sunt effectus prædestinationis strictè & propriè; illa enim admittebant Pelagiani, & vocabant gratiam, qui nihilominus à Patribus censentur prædestinationis causam naturæ viribus ascripsisse, ergo hæc non sunt illa gratia, quæ à Patribus & Conciliis in rigore vocatur effectus Prædestinationis.

IV. Imò nec ipse intellectus & voluntas, seu animæ, etsi physicè influant in beatitudinem, ut causa felicitatis illius materialis & effectiva, tum gloriam ipsam, seu visionem beatificam, tum alios etiam actus supernaturales in viâ, qui ad beatitudinem disponent, efficiendo & recipiendo: hæc inquam non sunt propriè & in rigore effectus prædestinationis: tum quia Pelagiani hæc admittebant, juxta dicta numero præcedente: tum quia, ut ait S. Augustinus de Prædestinatione Sanctorum, cap. 5. *Posse habere fidem & charitatem naturæ est hominum, habere autem fidem & charitatem, gratiæ est fidelium.* Et paulò post subjicit: *illa itaque natura, in quâ nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem, ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem.* Adde intellectum & voluntatem, præterquam quòd sunt quid merè naturale, esse prædestinationis & reprobis communes; reprobi enim has facultates frequenter habent æquè præstantes, imò præstantiores, quàm multi prædestinati; ergo non sunt effectus Prædestinationis.

V. Quarta conditio effectus prædestinationis est, ut non solum sit donum supernaturale, & gratia, sed ut actu hominem discernat à malsâ perditionis. Ratio est, inde enim incipit prædestinatio, unde incipit nostra salus, nam prædestinatio objectiva est series beneficiorum, per quæ homo ordinatur ad salutem, quæ proinde, ut docet Concilium Trid. sess. 6. incipit à primâ vocatione, seu primâ gratiâ præveniente, ab hac ergo similiter exordium sumit Prædestinatio.

VI. Existimo itaque primam vocationem congruam, unâ cum aliis omnibus auxiliis efficacibus, & actibus virtutum supernaturalibus primam vocationem ad finem usque vitæ, sine interruptione sequentibus, esse effectus Prædestinationis: hæc enim omnia de facto operantur salutem, & hominem segregant de malsâ perditionis. Gratia etiam per peccatum lethale interrupta, si reviviscat, est effectus Prædestinationis. Ratio est, de facto enim simul cum actibus primam vocationem sequentibus influit in gloriam, cum statim ac primæ quis vocationi consentit, restituitur, sicque antecedit, non gratiam tantum finalem, sed illam præterea, quæ per actus alios supernaturales post primam vocationem acquiritur, & simul cum illâ in gloriam, quæ etiam intuitu hujus gratiæ infunditur, influit, & non est communis gratiæ quam aliquando habuerunt reprobi; hæc enim in gloriam non influit, eum non conjugatur cum gratiâ finali.

I. Status quæstionis proponitur.

Permissio peccati, variorum virtutum occasio præbere potest.

II. Permissio peccati esse nequit strictè, & in rigore effectus occasionis Prædestinationis.

III. Permissio peccati non est gratia, sicut effectus Prædestinationis.

IV. Deus non potest velle permissionem peccati ex intentione poenitentia.

V. Deus nequit absolute intendere poenitentiam, quin velle peccatum.

VI. Quo sensu amare potest Deus poenitentiam post peccatum commissum.

SECTIO QUARTA.

Vtrum ob alios fines bonos præter pœnitentiam, permitti a Deo possit peccatum.

TERTIA Conclusio: non potest Deus velle permissionem peccati ob humilitatem, timorem, aut alias virtutes antecedenter volutas. Est contra Suarium Sectione præcedente, num. 2. citatum, Arriagam hîc, Disp. 38. sect. 4. num. 41. & alios nonnullos. Ratio est, quia cum hi actus virtutum (licet aliunde haberi possint) hîc & nunc tamen oriri in homine debeant à cognitione experimentalis peccati, nequit Deus hoc modo esse intendere, nisi intendat hanc cognitionem, & consequenter peccatum, ob rationes Sect. præcedente circa permissionem peccati intuitu pœnitentiæ, postas.

Quando itaque Deus bonos illos effectus, qui ex peccato frequenter procedunt, intendit, vult eos consequenter ad permissionem peccati, non antecedenter: id est postquam jam commissum videt peccatum, varia inde bona elicit, non tamen peccatum eo sine permittit, ut hæc bona ex eo proveniant. Sic etiam acceptationem passionis Christi voluit Deus post prævisam voluntatem Judæorum tormenta ei infligendi, & inferendi mortem. Similiter exaltationem Joseph, non ante, sed post prævisam fratrum invidiam & prodicionem decrevit, & sic de aliis.

Addo tamen permissionem peccati materialiter sumptâ, seu ut dicit auxilium sufficiens in actu primo, posse lato modo dici subinde effectum Prædestinationis, quatenus occasione præbet humilitatis exercendæ, ob difficultatem scilicet quam quis experitur in pugnâ, & periculum lapsûs: sed in hoc præcisè nihil differt ab auxilio congruo, physice debili, quod similem patitur difficultatem in pugnâ, & grave periculum ne quis vincatur, & tentationi succumbat. In hac ergo ratione nullo modo ingreditur peccatum; esto enim sequatur, perinde tamen est ad hos effectus, ac si non sequeretur. Inò auxilium illud sufficiens, quamvis non fortiatur effectum, frequenter tamen aliquid bonæ dispositionis in animâ relinquit, ratione cuius censeferi possit effectus Prædestinationis.

QUARTA Conclusio: Potest nihilominus Deus indirectè & improprie ex affectu beatitudinis, humilitatis, pœnitentiæ, ostensionis iustitiæ vindictivæ, misericordiæ erga electos, & similibus, moveri ad permittendum peccatum; vel scilicet quòd prævidens peccatum commissum, ex eo illa bona elicit, ut diximus num. 2. vel quòd minus retardetur à permissione peccati, videndo tantum boni ex ejus permissione secuturum. Ad ejus ergo permissionem inclinatur Deus ab hac scientiâ, non positivè, seu directè eam volendo, sed negativè, quia scilicet tollitur aliquid, quod aliàs de facto eum impediret ab illius permissione, nisi nimirum videret tot bona inde proventura; hæc enim ratione peccatum apparet minus malum, sicque ejus deformitas minus Deum retardat ab illius permissione: alioquin ab odio quod habet in peccatum, ab illius permissione impediretur.

Appositum ad hoc declarandum est exemplum Patris, habentis duos filios, qui videns filium natum minorem esse aptum, aut etiam aptiorem ad adeundam hæreditatem, minus gravatè permittit primo-genitum

Deum in hoc casu non absolutè & simpliciter amare & velle pœnitentiam, sed supposito quòd quis peccaverit; unde non vult omnino per hunc actum peccatum esse, quod non fuit, ut in actu quo vult pœnitentiam ante peccati commissionem, sed vult peccatum non esse quod fuit. Volendo itaque in his circumstantiis pœnitentiam, non intendit Deus peccati futuritionem, vel existentiam, sed destructionem, nec gaudet illud extitisse, sed posito quòd extiterit, gaudet tolli. Sicut homo quispiam, qui gaudet amicum de gravi aliquo morbo, vel vulnere convalescere, eique recuperatam valetudinem gratulatur, non gaudet eum, morbum illum aut vulnus habuisse, sed hæc esse sublata. At verò, si hic homo esset medicus, & absolutè atque antecedenter optaret aliquam sibi occasionem dari suam in arte medicâ peritiam ostendendi, omnes eos dicerent, non amici tantum, sed parum probi viri partes explese, perverfamque ejus hac in parte intentionem meritò improbarent.

Deus volendo pœnitentiâ post peccatum, non vult peccatum esse, sed destrui.

Res hæc declaratur exemplo ab humanis de sumptio.

VII. Dices secundò eum eodem Disp. illâ 38. n. 33. qui vult finem aliquem, non ad alias mediorum volitiones tenetur, quam eas præcisè, quæ ad finem illum sunt necessaria: sed ad existentiam pœnitentiæ non est necessarium, ut Deus habeat voluntatem positivam peccati à Petro committendi, sed sufficit voluntas permissiva: ergo Deus volendo pœnitentiam, velle solùm debet permissionem peccati. Sed contrâ: nam ut rectè Herice Disput. illâ 30. cap. 6. n. 31. Cardinal. de Lugo de Incarnatione Disp. 7. sect. 1. n. 6. & alii, permissio peccati in se non est mala, nec materia pœnitentiæ, neque ad eam conducit, nisi medio peccato; medium enim remotum non conducit ad finem, nisi mediante proximo: si ergo Deus antecedenter & efficaciter intendat pœnitentiam, intendere eadem operâ, implicite saltem & virtualiter debet peccatum, tanquam medium ad pœnitentiam necessarium, seu, quod eodem recidit, intendere debet permissionem peccati, ut conducentem ad pœnitentiam, quod ob naturalem horum objectorum inter se connexionem & subordinationem contingit.

VIII. Inò ob hanc objectorum connexionem, omnino impossibile videtur, ut Deus antecedenter & simpliciter velit pœnitentiam ob furtum exempli gratiâ vel homicidium, & simul etiam antecedenter & sincerè nolit furtum ipsum aut homicidium, cum tam necessarium hîc & nunc sit furtum ad pœnitentiam, quam calamus ad scribendum, aut medicina ad sanitatem.

IX. Hinc infero, quo pacto intelligendum sit illud Apostoli ad Roman. 8. vers. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; etiam ipsa peccata, ut ait S. Augustinus: sensus enim est peccata postquam jam admittâ sunt, occasione hominibus doloris & aliorum bonorum operum præbere, non quod Deus antecedenter intuitu horum operum ea permittat. Qua ratione autem S. Augustinus, & alii ex Sanctis Patribus dicant Deum permittere interdum peccata ob fines bonos, dicitur Sectione sequente.

Deus nequit antecedenter velle pœnitentiam, & nolle peccatum.

Quomodo diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.

I. Non potest Deus permittere peccatum ob humilitatem aut alias virtutes.

II. Deus bona ex peccato provenientia vult tantum consequenter.

III. Materialis permissio peccati potest esse effectus Prædestinationis.

Collatis auxiliis congruis, quatenus conducunt ad humilitatem.

IV. Potest Deus ex affectu humilitatis, aut pietatis, aut misericordiæ, permittere peccatum.

V. Declaratur quo modo Deus ob bona peccatum permittit primo-genitum.

facitura, minus retardetur ab illius permissione.

genitum peregrinari, aut ad bellum proficisci, vel alium periculosum vitæ statum suscipere, non quidem directè volens ut hæc ei pericula adveniant; nec etiam eo animo, ut secundò-genitus fiat hæres; sed videns illud bonum ex morte natu majoris proventurum, minus retardatur à permittendo ipsum adire militiam, quasi sublato impedimento, alioqui id non permissurus.

VI. Quo sensu dicant Patres Deum permittere homines labi, ut casiores resurgant, &c.

Hoc modo commodissimè explicantur Patres, dum asserunt Deum permittere homines labi, ut cautiore refurgant, ut humilitatem & alios fructus ex peccato percipiant; ut justitiam suam ostendant; & misericordiam in electos. Hoc etiam sensu explicantur loca quædam S. Augustini, ut de gratiâ & lib. arbit. dum dicit Deum permississe Semei maledicere David, ut probaret humilitatem ejus: item usum esse Juda ad opus nostræ redemptionis &c. videndo scilicet bona inde proventura, minus ab his permittendis retardabatur. Hoc, inquam mo-

do isthæc commodè explicantur; de permissione enim antecedente, sine maximis incommodis explicari nequeunt, ut vidimus sectione præcedente.

Infero tandem contra P. Vasquez hic, disp. 93. cap. 2. non posse Deum antecedenter permittere peccatum, ad ostendendum divitias gratiæ suæ erga electos. Ratio est: si enim Deus ex hoc sine antecedenter permittat peccata in reprobis, eadem sequuntur incommoda, quæ jam adducta sunt contra permissionem peccati ex affectu penitentia, humilitatis, &c. cum singularis hic favor cognosci debeat comparativè ad peccata, & damnationem reprobiorum: ergo si hanc comparativam cognitionem intendat Deus; intendere etiam debet peccatum, cum permissio peccati ad hoc non conducat, nisi in quantum conjunctum sibi habet peccatum: ut vidimus sectione præcedente, numero quinto.

VII. Nequit Deus permittere peccatum ad ostendam misericordiam erga electos.

DISPUTATIO XLV.

De Reprobatione.

REPROBATIO, licet quancunque rejectionem nonnunquam significet, vis tamen vocis, prout in Scholis usurpatur, ad rejectionem tantum à gloria restringitur, ac proinde non Prædestinationi in omni suâ latitudine sumptæ (sic enim, ut diximus, totam seriem beneficiorum, à prima vocatione usque ad beatitudinem complectitur) sed prout dicit tantum electionem ad gloriam, opponitur: reprobatio enim, quæ talis opponitur formaliter approbationi: approbatio autem est judicium de dignitate vitæ æternæ simul cum voluntate eam conferendi; ergo contra Reprobatio formaliter erit judicium de indignitate vitæ æternæ, simul cum voluntate aliquem ideo ab illâ rejiciendi.

Quid reprobationis nomine intelligatur.

SECTIO PRIMA.

Discutiuntur quædam circa naturam Reprobationis: Vti an Deus antecedenter aliquos reprobet.

I. Abus Reprobationis in Deo reperitur.

INVENIRI in Deo Reprobationem, nemini dubium esse potest, cum ad rectam Universi administrationem, prudentisque moderatoris æquitatem, non minus spectet, malis pœnam, quam bonis præmia decernere: alioqui, ut cum S. Thomâ hic, quaest. 23. art. 3. docent Theologi, manca esset ejus providentia.

II. Dicunt aliqui Deum quosdam à gloria privare & antecedenter reprobare.

Circa Reprobationem variæ sunt sententiæ. Nostri temporis Sectarii, ut videre licet apud Tannerum hic, Disp. 3. quaest. 7. Bellarminum lib. 2. de Amis. gratiæ, cap. 3. Becanum hic, cap. 16. quaest. 1. Hericæ r. p. Disp. 33. cap. 3. n. 17. & alios, Deum asserunt merè ex suâ voluntate, & antecedenter planè ad ullam causam datam, aut pravissimam ex parte hominum, seu creaturæ rationalis, nonnullos facere vasa iræ, & contumeliæ, & à vita æterna reprobare.

III.

Secundò Thomistæ aliqui, ut Alvarez, Ban-

nez, Navarete, & alii affirmant Deum voluntate antecedente, & ante ullius peccati prævisionem, quosdam positivè excludere à beatitudine. In hoc tamen à priore sententiâ differunt, quod hi solùm dicant Deum quosdam hoc modo reprobare à gloriâ: hæretici verò ulterius asserbant Deum ad ostendam justitiam suam vindicativam, eosdem antecedenter adjudicare suppliciis æternis.

Secundò sententiâ affirmant præcedenti.

Ab hac sententiâ non multum dissidet P. Grano 1. part. tract. 6. disp. 2. num. 10. & tract. 8. disp. unicâ, sect. 2. num. 7. ubi docet Deum ad ostendam justitiam suam vindicativam, & declarationem eximie suæ bonitatis ac misericordiæ in electos, ante ulla mala opera absolutè, sed solùm conditionatè prævisâ, positivè & efficaciter decrevisse damnare hos homines. Imò Disp. illâ unicâ sect. 2. num. 15. ait Deum absolutè statuissè Judam damnare, antequam haberet efficacem voluntatem eum creandi, vel saltem concomitanter, & in eodem signo utriusque fecissè: sicque ait reprobationis, seu voluntatis absolute damnandi homines, nullam dari ex parte nostrâ causam.

IV. Peculiaris Patris Grano circa reprobationem opinio.

Quod P. Grano ad hæc incendum viâ impulit, est opinio illa quâ, ut supra vidimus Disp. 32. dicebat Deum teneri facere scemper optimum: unde, inquit, cum melius sit aliquos damnari,

V. Quid Patris Grano in hanc sententiâ impulerit.